

## PSALMVS LXIII.

AD PRAECINENDVM PSALMVS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PARITER ET DIS-  
POSITIO PSALMI.

**N**ihil habet obscuri Psalmus iste. Apparet contra assentatores Saulis homines impios, de quibus & in superiore Psalmo quaedam meminit, compositam esse hanc odam: 1. in qua primum precationem ponit ad Deum, qua protectionem Dei implorat, & de pravis & astutis hostium suorum studijs conqueritur. 2. Deinde ultionem diuinam illis cominatur & praedicat: eamque talem, quae quosuis inspectores sit stupefactura. 3. Tertio, quid fructus allatura sit mortalibus ista ultio, maxime iustus, in fine Psalmi subiicit.



**V**DI Deum vocem meam in precatione mea, à pauore inimici serua vitam meam. VERS. I.

2. Absconde me à secreto malignorum consilio, à turba sceleratè agentium.

3. Qui linguam suam instar gladij exacuunt, dirigunt sagittam suam verbū acerbū.

4. Ut iuciant innocentem absconditè: subito iaculo percipiunt eum, nec timent.

5. Obfirmant sibi rem malam, commentantur ut abscondant laqueos: dicunt, Quis videbit eos?

6. Scrutantur occasiones, perficiunt scrutinium astutè inuestigatum, & intimum cuiusq; & cor profundum est.

7. At Deus illos iaculo feriet, subita erunt plaga illorum.

8. Et irruere illum aduersum se lingua sua cogent, stupebunt quotquot illos intuebuntur.

9. Et videbunt omnes homines, & narrabunt opus Dei, & facta eius intelligent.

10. Letabitur iustus in Domino, & fiduciam in illum collocabit, & gloriabuntur omnes recti corde.

**B** Audi Deum vocem meam. ] Ebr. קוּלִי Vulg. Latina habet: Orationem meam.

Absconde me. ] Vulgata Latina: Protexisti me. Felix: Abscondes me.

Obfirmant sibi rem malam. ] Ebr. est דבר רע Græc. & vulg. Lat. Sermonem nequam. Sic & Felix. Hieron. Sermonem pessimum. Notum est autem, דבר Ebraeis non solum verbum, sed & rem significare.

Scrutantur occasiones. ] Ebr. עִלְוֹת Græc. & vulg. Lat. Hieron. & Pagnin. legunt: Scrutati sunt iniquitates. Iustin. Scrutati sunt obliqua.

Perficiunt scrutinium astutè inuestigatum. ] Græcus & vulg. Lat. & Hieron. Defecerunt scrutantes scrutinio. Felix: Perfecerunt scrutinium inuestigatum. Pagninus: Perfecerunt scrutinium scrutatum. Iustinianus: Complerunt scrutari scrutationes.

Intimum cuiusq; & cor profundum est mihi. ] Ebr. וקר אִישׁ וְלִב עמוֹ Græc. Accedet homo & cor profundum. Vulg. Lat. Accedet homo ad cor altum. Hieronymus: Et cogitatione singulorum & corde profundo. Theodotion sic: Et mentem viri, & cor profundum sagittabit Deus, Felix: Et interiori viri & cor profundum. Iustinianus: In ventre viri & corde acuto.

At Deus illos iaculo feriet. ] Ebr. ירים אלהים Græcus & vulg. Lat. Et exaltabitur Deus.

Subita erunt plaga illorum. ] Græc. & vulg. Lat. Sagittæ paruulorum factæ sunt plaga illorum. Hieron. Iaculo repentino inferentur plaga eorum. Vers. 7.

Et irruere illum aduersum se lingua sua cogent. ] Græc. & vulg. Latina: Et infirmata sunt contra eos linguæ eorum. Hieronymus: Et corruent in semetipsos linguæ suæ. Iustinianus: Et scandalizatae sunt contra eos linguæ eorum. Felix: Et fecerunt corruere super eos linguam suam. Pagninus: Et impingere fecerunt eam in semetipsos linguam suam. Camp. paraphrastes sic: Et exprobrauerunt hæc videntes eandem eis illam linguam virulentam, quam ipsi in alios exacerant. Vers. 8.

Et videbunt. ] Ebr. יראו Græc. & vulg. Lat. Et timuit omnis homo. Et Hieron. Ei timebunt omnes homines. Pagnin. Et timuerunt omnes homines: Illi legerunt יראו pro יראו. Vers. 9.

Et gloriabuntur. ] Græc. & vulg. Latina: Et laudabuntur. Hieron. Et exultabunt. Sic & Iustin. Pagnin. Et laudabunt te. Vers. 10.

## PRIMA PARS.

A pauore inimici serua vitam meam. ] Videmus hinc in Propheta pauore inimicorum, eumque ex amore vitæ ortum. Ergo timuit eos qui corpus ipsius perdere conabantur. At qui iustorum est, non timere eos qui corpus occidere possunt, animam verò non possunt. Et Christus dicit: Qui animam suam amat, perdet eam. Et qui non odit patrem, & adhuc & suam ipsius animam, non potest meus esse discipulus. Erat igitur Dauid homo carnalis, nullo pietatis erga Deum affectu præditus, sed vitæ præsentis cupidus, & huius gratia plus homines quàm Deum metuens? Absit. Non hoc exigitur, ut homo iustus sit prorsus omni metu mortis, & vitæ huius amore exutus: sed ne plus metuat eos qui corpori insidiantur, quàm Deum, qui potest & animam & corpus perdere: & ne præferat præsentem hanc vitam diuinæ voluntati, & æternæ felicitati. Vers. 1.

A secreto Matth. 10.